



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. LX. De Homicidio casuali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

Erotem. Eccles. Cap. LX. De Homicidio Casuali. 95

Resp. Si foetus sit inanimatus, potest procurari abortus non directè, sed indirectè ad sanitatem matris consequendam. Si verò sit foetus animatus; alii dicunt, neque directè neque indirectè posse matrem pharmaca sumere ad recuperandam sanitatem, si inde abortus sit sequuturus; quia debet præferre salutem spiritualem proliis sanitati suæ corporali. Alii distinguunt; si matre abstinerente à medicamentis spes probabilis sit, quòd proles sit viva nascitura, tenetur mater abstinere; at si hæc spes cesserit, poterit mater ad conservationem suæ vitæ sumere pharmaca, quamvis sequuturus sit abortus; nam evitari non poterat, si mater mortua esset. Mastrius d. disp. 8. num. 30. & 31. & Tambur. d. lib. 6. in Decalog. cap. S. 4. Et novissimè Cardenas in Crisi Theolog. Dissert. 22. n. 21. & seqq.

2. *Quer.* Quo tempore foetus sit animatus? *Resp.* Si foetus humanus sit maculus, animatur anima rationali post quadraginta dies à conceptione; si verò sit femininus, post dies octoginta, secundum Aristotelem lib. 5. Animal. cap. 3. & 9. Farinac. q. 122. n. 141. Cæsar de Panimoll. Decis. 68. num. 17. Porro Cardenas in Crisi Theolog. part. 1. tract. 1. disp. 14. cap. 3. n. 28. & seq. auctoritate doctissimorum Medicorum docet, etiam prima, secunda, aut tertia die foetum fieri animatum.

3. *Quer.* An liceat procurare abortum foetus inanimati, ne puella gravida infametur, aut occidatur à suis parentibus? *Resp.* Olim opinionem affirmativam tanquam probabilem plures Moralitas docuisse, quos citat Diana Coord. tom. 5. tract. 6. resol. 44. & resol. 46. & Cardenas in Crisi Theolog. d. Dissert. 22. cap. 4. cum tribus seqq. Sed hodie hæc opinio est damnata à Sanctissimo Innocentio XI. Propos. 34. Quare si verò foetus sit animatus, si verò inanimatus; non licet ejus abortum procurare; ea ratione, quia est intrinsecè malum, tum innocentem occidere, tum destruere generationis actum; & dispositionem jam inceptam ad vitam hominis. Tambur. d. lib. 6. in Decal. cap. 2. S. 4. num. 5. & 6. ac Philippin. de Privil. Ignor. cap. 10. Priv. 7. ubi tamen perperam conatur excusare à censura ob ignorantiam procurantes abortum foetus animati, effectu secuto, quia ignorantia juris neminem excusat, si actio est manifestè mala, & peccaminosa, ac prohibita jure naturali, vel divino. Thesaur. de Penis Eccl. part. 1. cap. 15. resp. 3. & 4.

4. *Quer.* Quæ sint poenæ inflictæ contra procurantes abortum foetus animati, effectu secuto? *Resp.* Esse sequentes. 1. Excommunicationem Papalem, si foetus erat animatus, reservatam hodie locorum Ordinariis. 2. Si procurantes sint Clerici, incurrunnt privationem privilegii Clericalis, ac beneficiorum; & sunt inhabiles ad illa. 3. Non gaudent immunitate loci sacri, quia censentur homicidæ proditores. 4. Infamiam Juris. 5. Irregularitatem: Ita Thesaur. de Penis part. 2. Verb. abortus procuratio.

5. *Quer.* Quis possit absolvere à prædicta Excommunicatione ob abortum? *Resp.* E-

piscopi, & locorum Ordinarii, qui possunt facultatem delegare cuicumque Confessario. Regulares verò, habentes privilegium absolvendi à reservatis Sedi Apostolicæ, poterunt absolvere etiam ab hac censura; nisi Episcopi specialiter sibi reservaverint hunc casum; ut ubique fieri solet. Thesaur. dict. Verb. Abortus Vers. Primo. Et Lezana tom. 3. eod. Verb. num. 7. Quia Regulares nunquam possunt absolvere à peccatis per Episcopos reservatis, ut ostendi de Pœnitentia decis. 46. num. 16.

6. *Quer.* Quæ sint poenæ contra procurantes abortum foetus inanimati? *Resp.* Præter culpam mortalem esse poenam Juris communis, videlicet, fustigationem mulieris, & condemnationem virorum ad triremes; vel ad carcerem, ut docent Criminalistæ, quos cumulat Cæsar. de Panimoll. decis. 68. à num. 7. & seqq.

7. *Quer.* An Irregularis occultus ob procurandum abortum possit dispensari à Sacra Pœnitentia? *Resp.* Affirmativè; sed debet exprimere, si foetus erat à se genitus, aliàs gratia erit subreptitia. Thesaur. dict. part. 2. cap. 1. Verb. Abortus, in fine.

8. *Quer.* An incurrat poenas antedictas, qui causat abortum, vel percutiendo mulierem gravidam, vel cum ea immoderatum coitum exercendo? *Resp.* Negativè, si non adverterit ad periculum abortus. Non tamen effugiet irregularitatem, abortu foetus animati secuto. Lezana tom. 3. in Sum. Verb. Abortus num. 16.

9. *Quer.* An incurrat dictas poenas, qui ratum, & gratum habet abortum ejus nomine factum? *Resp.* Negativè, si id sciverit post factum. Affirmativè, si antequam fieret, approbasset. Lezana d. Verb. Abortus num. 17.

10. *Quer.* An sit aliqua Propositio evitanda tanquam damnata circa abortum? *Resp.* Esse la 35. inter illas damnatas ab Innocentio XI. quæ sic asserbat: Videtur probabile, omnem fetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali; & tunc primùm incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi. De iniquitate, ne dicam bestialitate hujus Propositionis tractat Cardenas in Crisi Dissertat. 22. cap. 8. ubi eam vocat delirium.

CAPUT LX.

De Homicidio Casuali.

1. *Quer.* Quæ, & quot sint Regulæ ad cognoscendum, an Homicidium fuerit Voluntarium, vel Casuale? *Resp.* Esse quatuor Regulas. Prima est, cum quis dat operam rei licitæ, ut si Murator cooperiat domum; & tunc, si posuerit signum, vel clamaverit; & viator ligno, vel saxo occidatur, homicidium erit casuale, & absque ulla culpa. Si verò Murator negligens fuerit in clamando, vel ponendo signum; erit culpa Venialis, si negligentia fuerit levis; at mortalis, si negligentia fuerit gravis.

Secun-

Secunda Regula est, cum quis dat operam rei illicitæ, & tunc, nisi adhibeat omnem diligentiam, ne sequatur mors alterius, erit reus homicidii, etsi casualis. Exempli gratia, si quis ludat pugnis cum alio: Vel se inebriet, sciens fieri furiosum, & percussorem in ebrietate. Vel cecat cum uxorata, non adhibens omnem diligentiam, ne maritus eam occidat. *Tertia* Regula, qui non adimplet ea, ad quæ tenetur ex officio sive per incuriam, sive per ignorantiam, homicidia, quæ sequuntur, etsi casualia, sunt mortalia, & obligant ad restitutionem. Exempli sint. Si Medicus malè curet ægrotum. Advocatus non bene defendat clientem. Dux non coerceat milites. Prætor non insequatur latrones. Dominus non bene ligatas teneat feras. *Quarta* Regula: qui non impedit homicidium faciendo id, quod ex sola charitate facere debebat, est reus homicidii, sed non tenetur ad restitutionem, neque incurrit irregularitatem. Sit exemplum de eo, qui eleemosynam non dedit alicui in gravi necessitate constituto; vel qui non manifestavit insidias, ut fugeret mortem; seu qui dissuasit volentem manifestare. Tamburin. *dict. lib. 6. in Decalog. cap. 3. §. 1. num. 4. & seqq. ubi DD. cumulat,*

CAPUT LXI.

De Circumstantiis Homicidii.

1. *Quar.* Quot, & quas circumstantias Confessarius requirere debeat à Pœnitente homicida? *Resp.* Quinque circumstantias esse requirendas. *Prima* est de qualitate Pœnitentis, an sit Clericus, vel Sacerdos? ut sciat, utrum factus sit irregularis, & an susceperit Ordines in irregularitate, vel Missam celebraverit, quia sunt nova peccata. *Secunda*, est circa personam occisam, an fuerit sibi consanguinitate conjuncta? quia esset aliud peccatum contra pietatem debitam parentibus. Vel an fuerit Clericus, vel Monachus? nam affectus esset excommunicatione ex cap. *Si quis fundente.* Vel an fuerit in Dignitate Ecclesiastica constituta, ut Episcopus, Nuncius, Cardinalis? Nam ligatus esset alia excommunicatione Papæ reservata; vel an esset persona petens Romam? ob aliam excommunicationem contra hujusmodi iter agentium occisores pariter fulminatam. Vel an occisus esset Pater familias, & reliquerit filios, vel filias pauperes; nam tenetur homicida ad restituenda damna; & providere eorum paupertati. *Tertia*, Circumstantia requirenda ab homicida est circa locum, ubi commissit homicidium: si enim fuit locus Sacer, commissit etiam Sacrilegium. *Quarta*, est circa auxiliares: siquidem si alios socios assumpsit, tot alia peccata commisit. *Quinta*, tandem est circa tempus, an scilicet ex improvviso hominem necaverit, vel diu meditatus est in corde de nece hominis; nam in tali casu multiplicavit numerum peccatorum, necessario in Confessione exprimendum. Ita Tamburin. *dict. lib. 6. in*

Decal. cap. 3. §. 2. per totum. Et ego in Decisionibus de Pœnitentia *decis. 27. num. 8.*

2. *Quar.* Quam Pœnitentiam Confessarius injungere debeat homicidæ? *Resp.* Ut à propinquis occisi veniam petat. Ut isdem damna resarciat. Ut saltem per annum singulis hebdomadis unam Missam celebrare faciat, eleemosynam aliquam det, & Rosarium recitet pro anima occisi. Ut tota vita quotidie saltem unum Pater, & Ave pro ejusdem anima genibus flexis recitet; vel aliquam peregrinationem assumat. Comit. *in Resp. Moral. lib. 4. quest. 11. numer. 8.* Tamburin. *d. cap. 3. §. 3. & de Exped. Confess. lib. 4. cap. 3. & 4.*

CAPUT LXII.

De Restitutione ob Homicidium.

1. *Quar.* Si quis innocens condemnatur à iudice ob homicidium occultum ab alio factum: An teneatur homicida resarcire damna ipsius innocentis? *Resp.* Negative, quia non fuit causa moralis illius damni; nisi adhibuisset arma illius innocentis, ex quorum indicio condemnatus fuisset. Tambur. *dict. lib. 6. cap. 4. §. 1. Eminentiss. Cardin. de Lugo de Just. & Jur. disp. 8. num. 82.* ubi id docent, quamvis homicida prævidisset, imò intendisset ex suo homicidio, aliquem innocentem fore condemnandum. Verum tamen est, quod si occisor posuisset cadaver vel in agro, vel ad domum vicini, ex qua circumstantia vicinus à Justitia vexaretur, ipse occisor esset obligatus eidem damna resarcire; ut prædicti DD. notant. Porro circa calum in quæsito propositum vide pulchrum contrarium exemplum in meis Decisionibus de Pœnitentia *decis. 27. numer. 26.*

2. *Quar.* An Pater teneatur ad restitutionem, si homicidium committatur à filio? *Resp.* Negative, nisi in legitima damnetur. Tambur. *dict. lib. 6. cap. 4. §. 2. num. 6.*

3. *Quar.* An Dominus teneatur ad damna resarcienda, si homicidium committatur ab ejus servo, vel animali? *Resp.* Affirmative, si Dominus fuit in culpa. Negative, si absque ejus culpa. Verum si sententietur ad resarcienda damna, tenetur vel resarcire, vel dare servum, aut animal pro noxa. Tamburin. *dict. §. 2. num. 5.*

4. *Quar.* Quanta debeat esse restitutio pro homicidio injusto? *Resp.* Ad arbitrium boni viri, pensata ætate, & industria occisi. Tamburin. *dict. lib. 6. cap. 4. §. 3.* ubi advertit, restitutionem faciendam esse hæredibus occisi, cum quibus bonum est concordare, & transigere.

5. *Quar.* An ob homicidium sequutum in duello voluntario facienda sit restitutio? *Resp.* Negative; nisi occisus fuisset deceptus, vel coactus. Tambur. *dict. §. 3. num. 2.*

6. *Quar.* Si occisus remisisset omne debitum homicidæ, an ejus uxor, & filii possint petere damna, quæ patientur? *Resp.* Affirmative, quia remissio facta ab interfecto habet